

re viribus. Atverò illarum debilitatiò commodam adimit offen-
so resistantiam. Eò igitur angustiaè nè quis redigatur, omni ut al-
laboret ope, sua cujusvis exoptulat charitas. Præcavenda ideò,
non expectanda dubii ictus illatio.

XI. Juris Romani tandem percurrenti capita, præsens
facile arridebit opinio. Vim armatam intulisse censentur non
modò illi, qui armis aliquem ex re immobili dejecerunt, aut re
in corporali uti prohibuerunt; sed etiam qui armis usi non sunt,
modò armati advenerunt. *Sufficit enim terror armorum*, inquit
Ulpianus in l. 3. §. 5. ꝑ de vi & vi armat. ut videantur armis dejecisse.
Comparatur igitur armorum terror ipsi armorum usui. Censentur
pro iisdem, armis actualiter offendere, & armis offensionem
minitari. Quia itaque hæc comparatio in præsentem nostrâ mate-
riâ locum habeat, nullus dubitaverit. Edoctus communissimâ
illâ juris regulâ: *Ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio*, arg. l.
108. pr. ꝑ de V. O. Et quid opus, ut in prolixiori heïc immoremur
argumentatione. Manifestissimè hæc quæstio videtur decisa ab
Imperatoria authoritate in l. 3. C. Ad L. Cornel. de Sicer. *Si quis per-*
cussorem, inquit Gordianus, *ad se venientem gladio repulerit: non*
ut homicida tenetur. Consentit Ulpianus in l. 5. ꝑ ad L. Aquil. *Sed*
& si quemcunq; alium ferrò se petentem quis occiderit, non videbitur
injuriâ occidisse. Uterque verbis præsentem apertè confirmanti-
bus sententiam usus. Neuter desiderat præcisè, ut defensionis
actum actualis ictus violentia præcesserit. In proximâ aggredi-
endi in necem alterius potentia ut invasor constitutus sit, neces-
se est: non autem ut jam tum actu ipsò aliquem instrumento no-
civo aggressus sit. *Ad se venientem*, ait Imperator, *aut ferro pe-*
tentem inquit Jctus. Nullatenus requirunt, ut violentâ percu-
sione actu sint petiti, defensionis jure usuri. Novissimè tandem
hanc sententiam imperatoriò confirmavit robore *Carolus V. ord.*
crim. art. 140. §. ꝑn. in verb. und so er also den Benötiger
entleibet / ist er darumb nichts schuldig / ist auch mit sei-
ner Gegenwehr / biß er geschlagen wird / zu warten nicht
schuldig unangesehen / ob es den geschriebenen Rechten
und Gewonheiten entgegen wäre.

XII. Sed